A ſit, & inſequenti die graviſſimo corripuit edicto: dominumque ſe poſthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus ſuis, vel ſeriò, vel joco, paſſus eſt; atque hujuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuit. *Svet. & Dion.*

Menſes Septembrem atque Octobrem, Antonium atque Fauſtinum appellandos decreverat ſenatus. Sed id M. Antoninus Pius Imp. reſpuit. *Capitol.*

Alexander Severus Imp. vix annos ſexdecim natus, cùm à Senatu Imp. creatus, ob virtutis magnitudinem Patriæ quoque parentis, & Antonini & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum, ut hos acciperet honores, induxit: Oportere enim ajebat, ut res geſtæ maturiorque ætas eas nomina parerent. *Fulg. lib.4. c.1. ex Lamprid.*

Victis ad Argentoratum magno prælio Germanis, Chonodomatio rege capto, Julianus, Cæſar à Conſtantino Imp. jampridem dictus, acclamatione concordi totius exercitus Auguſtus appellatus, eum honorem increpito milite jurejurando repudiavit. *Sig. lib.6. Imp. occid.*

☞ *Quare pleraque in Apophthegmatibus, Tit. de Honore.*

B

INSCRIPTIONES NEGLIGERE.

Pertinax Imp. Imperatoriis poſſeſſionibus nomen ſuum inſcribi prohibuit, dictitans, non eſſe illas proprias imperantium, ſed communes Romanorum & publicas.

ENCOMIA, PRÆCONIA NON ACCEPTARE.

Cùm jactarent amici Alexandri, ſupergreſſum eum rebus geſtis Herculem: Enimverò ego, inquit, res geſtas meas cum imperio non exiſtimo eſſe uni æquiparandas Herculis verbo. *Plut. in Apoph.*

Quum quidam Albini, qui Severi Imp. æmulus fuit, geſta vellet ſcribere: Quin ea potiùs ſcribas, inquit, quæ Marius geſſit, aut Hannibal, ut illa imitemur; nam res geſtas illius ſcribere, à quo præmium expectes, aut pœnam, luſus eſt. *Sab. lib.5. Enn.7.*

Cosmus Medices, is qui Sapientis nomen tulit, cùm ſuprà quadringenta aureorum millia in templa, xenodochia, monaſteria impendiſſet, & à quodam propter hanc magnificentiam ſummis laudibus extolleretur, certamque pro tantis meritis à
C Deo pauperum patrono mercedem expectare juberetur: Ego verò, inquit, nulla penitùs harum impenſarum in meis rationibus nomina reperire hactenùs potui. Vox Chriſtiano digna viro, qui cùm Dei benignitate omnia ſe accepiſſe putaret, ſi quid ejuſdem juſſu in pauperes effudiſſet, non illud ſuo merito (quod à Chriſto ſolo penderet) ſed gratia tantùm voluntati tribuendum putaret. *Lud. Guicciard. in Diludiis.*

SALUTATIONEM HONORIFICAM FLOCCIPENDERE.

Cùm introiſſet Cæſarem Petrus, obviam venit ei Cornelius centurio, & procedit coram eo. At Petrus: Surge, & ego ipſe homo ſum, ait *Act.10.*

Cn. Pompejus Magnus, Pharſalica in acie victus à Cæſare, cùm poſtero die Lariſſam intraret, oppidique illius univerſus populus obviam ei proceſſiſſet: Ite (inquit) & iſtud officium præſtate victori. Dicerem non dignum qui vinceretur, niſi à Cæſare eſſet ſuperatus: certè modeſtus in calamitate. Nam quia dignitate ſua uti jam non poterat, uſus eſt verecundia. *Val. lib.4. c.5.*

Maximinus Senior Imp. nunquam ad oſcula pedum quen-
D quam admiſit, dicens: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſcula figat. *Capitol.*

Ruſticiana Patricia ad D. Gregorium PP. epiſtolis ſæpiùs formulam hanc, Ancilla veſtra, inculcaverat. Cui ille: Cum per Epiſcopatus onera ſervus omnium ſim factus, quomodo ancillam eam habeam, cujus ante Epiſcopatum proprius fui? Et ideò rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum in ſcriptis veſtris aliquando ad me inveniam. *Lib. epiſt. c.38.*

GLORIÆ CONTEMPTUS SECUNDUM ΛΗΨΙΝ Respectu ΑΞΙΑΣ, Sive Meriti, cui Honor debetur. Ob

PROPHETIÆ DONUM.

Joannes Ægyptius monachus, cùm Spiritu ſancto revelante multis futuri eventus reſponſa daret, inferebat: Non ſuis meritis eam revelationem ſibi factam, ſed illorum qui rogatum advenerant. *Sab. lib.10. c.1.*

E

MIRACULORUM DONUM.

Christus Jesus, ut gloriæ æternæ plenus erat, ita gloriam humanam omnem contempſit: adeò ut iis, quos à variis liberabat morbis, interdixerit, ne id cuiquam enunciarent. Dæmonum certè clariſſima teſtimonia, quòd Dei filius eſſet, ſemper repudiavit.

Antonium Abbatem tradunt Martiniano militum præfecto pro filia, quam nequitiæ ſpiritus poſſederat, ſupplicanti, reſpondiſſe, ne à ſe opem poſceret, cum & ipſe peccator eſſet ſed ſi in Chriſto confideret, eidem ſupplicaret, juxta fidei meritum gratiam ab ipſo impetraturus. Credidit Martinianus, & domum rediens, Deum precatus, filiam à dæmonio liberavit, ut prædictum ab Antonio fuerat. Pulchrè igitur unico reſponſo Antonius tria ſimul expreſſit bona: humilitatis obſervationem, fidei virtutem, infirmitatis remedium. *Marul. lib.1. cap.4.*

Joannes Ægyptius monachus, morbo affectos coram ſe curationis gratia adduci vetuit, quoniam ultro citroque com- F
meantium agmen oſtentationi eſſe potuiſſet. Oleum eis benedictum mittebat, quo peruncti convaleſcebant, atque à languoribus liberabantur. *Sab. lib.10. cap.1. & Marul. lib.1. cap.4.*

Ægidius Athenienſis, quoniam miraculis clarere cœperat jactationis occaſionem fugiens, patriam reliquit, & ad eremum, ſe contulit. Et dum apud Veredenium eremitam in agro Arelatenſi habitaret, ſabuloſo ac ſterili ſolo ab ipſo terræ conditore Deo fœcunditatem precibus impetravit. Mox inde diſcedens, vaſtioris ſolitudinis latebras petiit, ibi quærens domicilii locum, ubi non facilè mortalium de ſe rumores audire poſſet. *Marul. lib.1. c.4.*

Jodocus, fama ſanctitatis, regumque Britanniæ ſtirpe clarus, dum ſolitarius habitaret, & ſignorum quæ fecerat rumor, multos ad viſendum eum à diverſis partibus exciviſſet: videns, in tanta ſe adeuntium frequentia periclitari humilitatem, in ulteriorem deſerti angulum ſedem tranſtulit, ut tam ab inanis gloriæ cupidine ſemotus eſſet, quàm à conſuetudine hominum. *Idem.*

Eulalius monachus criminis olim ſuſpectus, ut innocen- G
tiam probaret, jubente Abbate, fiſcellam, quam de palmeis foliis ipſe texuerat, igni impoſuit, atque ubi à flammis eam lædi non poſſe animadverſum eſt, non ſolùm omni ſuſpicione fuit abſolutus, verùmetiam ob miraculum veneratione haberi à fratribus cœpit. Cæterùm ſe in ore oculiſque hominum eſſe indignè ferens, procul inde ſeceſſit in deſertum; maluitque in ſpeluncis cum feris habitare, quàm in monaſterio ab hominibus honorari. *Idem.*

Hilarion Abbas, jam ſexagenarius, cernens circa ſe tum monachorum multitudinem, tum eorum, qui ſanandi ad eum undique confluebant, flebat quotidie, & ad ſeculum rediſſe ſe, atque in vita mercedem recepiſſe ajebat. Abire cupientem inhibebant. Denique biennio in tali animi ſolicitudine peracto, cùm poſtremò comedere nollet, donec diſceſſum impetraret, & jam dies ſeptem nihil guſtaſſet: ne inedia conficeretur, dimiſſus reliquit Palæſtinam. Præterea gloriam ſemper fugiendo, dum crebrò ſedem mutat, Bethilium, Peluſium, Theubaton Babylonemque peragravit: deinde Aphroditon, eremum Antonii, rurſum Aphroditon, Alexandriam, Oſam, Brutium, Paratonium, Siciliam, Epi- H
daurum, ac poſt hæc Cyprum. In cujus inſulæ vaſtiore minùſque noto angulo cùm ſeſe addidiſſet, diu latere non potuit, miraculis eum ubique prodentibus. Quia tamen viribus partim ætate, partim labore exhauſtis, inde jam emigrare illi commodum non erat, ibidem & fugæ finis & vitæ fuit. Hunc tantum in ipſo honoris contemptum præter cætera extollens Hieronymus: Mirentur, inquit, alii ſigna quæ fecit: mirentur incredibilem abſtinentiam, ſcientiam, humilitatem: ego nihil ita ſtupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuiſſe. Concurrebant Epiſcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronarum quoque Chriſtianarum grandis tentatio, & hinc & inde ex urbibus & agris vulgus ignobile: ſed & potentes viri & judices, ut benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. At ille nihil aliud quàm ſolitudinem meditabatur. *Marulus idem, & Fulg. lib.4. c.1.*

Bonifac. Maximi tempore monachus, & cœnobii pater, jam ſenex, inde clàm aufugit ad aliud interioris Thebaidis cœnobium, honoris vitandi gratia & commodi: ignotuſque in humi-

A humili miniſterio verſans, cognitus eſt tandem, & ad priſtinum officium remiſſus. *Ex Heraclide.*

Thabita virgo ſacra monaſterii magni Thebaidis, cum ſe omni humilitate dejeciſſet, inſanire putabatur. Verùm quai ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus, ſancto Pierio Abbati, in eremo degenti, revelata fuit illius ſanctimonia. Proinde ad viſendam eam perrexit. Ipſa ut vidit ſe non jam ut ſtultam contemni, ſed ut ſanctam honorari, clàm diſcedens, monaſterium pariter honoremque dereliquit, & in ſolitudine vitam vixit. *Marul. lib.1. c.4.*

Maria natione Gallica, de vico Nivella Epiſcopatus Leodienſis, ignobilis genere, celebris ſanctitate, frequentiam hominum illuc ad ſe viſendam turmatim accurrentium moleſtè ferens, revelatione accepta, tridui iter arripuit: pervenitque ad Eccleſiam S. Nicolai cognomento Deognies, & ibidem ſolitaria conſedit. Ferunt, ſacelli illius fores, cùm clauſæ obſeratæque eſſent, adventanti ſua ſponte protinùs patuiſſe. *Marul. ibid. & Sab. lib.10. c.1.*

ERUDITIONEM.

Galenus Medicus Pergamenus gloriam & popularem au-
B ram ſic perpetuò neglexit, ut nulli librorum ſuorum ſuum nomen præſcripſerit, & amicos etiam, ne id facerent, rogarit, utpotè Μόνης τῆς ἀληθείας ϗ ἐπιςήμης ἐπιθυμῶν, ϗ ἐδὲν τῶ νομίσας ἔτε θειότερον ἀνθρώποις, ἔτε κάλλιον κτῆμα, ut ipſe deſcribit 7. *Therapeutices*, & mox ſubjungit: διὰ ταῦτ᾽ ἂν ἐδ᾽ ἐπέγραψά ποτε ἐμὸν ὄνομα τῶν ὑπ᾽ ἐμοῦ γεγραμμένων βιβλίων ἐδενί. In libelli quidem de libris propriis principio, non ſimpliciter ullis ſuorum librorum, ſed illis, quos introducendis ſive in diſcipulorum aut amicorum rogantium gratiam ad privatum ipſorum captum uſumque conſcripſiſſet, non ad editionem, nomen ſuum ſe addidiſſe negat. Imperfectis ergo, quia indigni eſſent, perfectis verò, ne ambitioſus videretur, ſuum inſcribere nomen ſuperſedit.

Anton. Nebrissensis Hiſpanus, pro varia & latè patenti eruditione, quum eſſet diligenter in omni ſcriptorum genere verſatus, potuiſſet quodcunque nomen uſurpare, non ſolùm cùm bona profeſſorum ejuſce artis venia, ſed cum magna etiam lætitia, quòd non parum gloriæ profeſſioni ſuæ acceſſurum ex hujuſmodi hominis ſplendore & nominis celebritate exiſtimaſſent: nihil tamen dici & haberi maluit, quàm Gram-
C maticus. Nec Pius II. pontifex urbis Romæ nomen ejuſmodi abhorruit. *Lud. Vives de Cauſis corruptarum art. lib.2.*

FORTITUDINEM BELLICAM.

Bello ſervili voluntaria ſtipendia Cato minor fecit fratris cauſa Cæpionis, qui tribunus militum erat: atque explicare, quantam capiebat, alacritatem & exercitationem virtutis, quòd dux gereret rem imperitè, nequivit. Dum tamen in magna militum illorum ignavia & luxu præſtitit diſciplinam, atque ubi uſus quæreret, virtutem, omnibuſque in rebus audaciam & prudentiam, nihil concederet exiſtimatus eſt veteri Catoni. Unde Gellius præmia ei & eximios honores tribuit: quos ille non accepit, neque admiſit, nihil geſtum ferens honoribus dignum. Hinc perverſus habitus eſt. *Plut. in ejus vita.*

Rollonem Normannorum ducem Alſtenus Anglorum rex in Neuſtriam irrumpentem commeatu juverat. Eundem, cùm occupata Rotomago in Neuſtria pedem fixiſſet, Alſtenus civili bello impetitus in auxilium evocarat. Rollo nihil moratus, regi fortem & fidelem navavit operam. Victis rebellibus, Rex permiſit illi regni dimidium, limiteſque fecit utriuſ-
D que ditionis. Rollo imperat victis, obſides ſervandæ pacis ſtatuuntur, ut diviſim & regi & ſibi ſint pignora pacis ſervandæ. Nihil horum recuſatum eſt: exhibent. Tum dux regi: Quando, inquit, & hoſpitio primùm, deinde etiam commeatu me rex egregiè & inſigniter muneraſti, gratuitam tibi operam libens rependo, ut aliqua ex parte tuis in me meritis reſponderem. Regni partem, quam exhibes, non accipio: totum tibi jure tuo poſſideto. Mihi in Franciam redeundum eſt: obſides tuorum tibi habeto: quò plura tenes pignora, ſolidiorem pacis habiturus conditionem. Senior ſolutus in lacrymas, quas potuit gratias dixit, regalibus donis afficiens amicum, cùm regni partem aſpernaretur. Unum petenti Rolloni libens permiſit, ut qui ex Anglia ſua ſponte militiam ejus ſequi vellent, bona regis venia ſequerentur. *Crantz. lib. 2. Norvegiæ c.23.*

E

ÆDIFICIORUM MAGNIFICENTIAM.

Tiberius cùm multa reſtituiſſet in urbe ædificia, quæ corruerant (nullum enim extruxit novum, præter Auguſtale) nullum tamen prorſus ſibi vendicavit: ſed eis nomina reddidit eorum, à quibus ædificari cœpta eſſent. Multa impendit in uſus civitatum & privatorum hominum: cujus rei cauſa nullum honorem poſtulavit, nullam omninò laudem admiſit. *Dion.*

Hadrianus Imperator & patrem Trajanum, & ſuperiores Imperatores ſumptuoſis ædificiis ſuperavit: & tamen in uno tantùm Trajani patris templo nomen ſuum inſcribi voluit. *Pont. c.12. de Magn.*

FIDEM ERGA PATRIAM.

Aretaphila Cyrenæa, Nicoſtrati tyranni conjux, patriæ charitatem tyranni amori præponens, Nicoſtrati fratrem Leandrum impulit, ut Nicoſtratum occideret. At cùm ſe Leander fratre immitiorem gereret, effecit eadem, ut Leander quoque occideretur, liberæque Cyrenæ ejus morte remane- F
rent. Cùm igitur ejus opera duobus liberatæ immanibus tyrannis Cyrenæ, principem cum publicorum conſiliorum atque totius Reipublicæ facere vellent, ipſa omnibus ſpretis, ſe in ſacratum virginum conventum contulit. *Plut. de Mul. virt.*

CONJUGIA PRÆCLARA.

Numa Pompilius ex illuſtri inter Sabinos genere natus, cum Tatii Sabini, qui ſimul cum Romulo regnavit, filiam in uxorem duxiſſet: non tamen eo connubio elatus, migravit ad ſocerum: ſed patrem jam ſeniorem fovens & nutriens in Sabinis cum Tatia uxore, privati viri quietem regno ſoceri prætulit. *Plut. in ejus vita.*

VICTORIAM.

☞ *Vide poſt Trophæa, triumphos reſpuere.*

Python, quem, quòd interfeciſſet Cotyn, magnifaciebant Athenienſes, & honorabant: Deus hoc, inquit, manu uſus mea perpetravit. *Plut. in Præcept. Polit.*

Timoleon exciſis in Sicilia tyrannidibus, templum Αὐτοματίας, hoc eſt, Caſus excitavit, Deum conſortem faciens laudis ſuæ. *Idem.* G

Capto ſaxo inexpugnabili in India, Alex. Magnum cùm ejus amici jactarent ſupergreſſum rebus geſtis Herculem: Enimverò ego, inquit, res geſtas meas cum imperio non exiſtimo eſſe uni æquiparandas Herculis verbo. *Plut. in Apoph.*)

Gentes finitimæ ob Judaicam victoriam (teſte Philoſtrato Titum ſalutabant Imperatorem. At is tali ſe honore indignum reſpondit, aſſerens auctorem talium operum Deum. *Cuſp. Philoſt. in Apoll.*

GLORIÆ CONTEMPTUS SECUNDUM ΛΗΨΙΝ reſpectu Modi, quo contemnitur.

NON AFFECTANDO.

Xenocrates cuidam commemoranti, quòd ipſius laudes ubique prædicaret: Ego, inquit, pro iſto officio bonam repono gratiam, efficiens, ut vera prædices. Vera virtus nihil moratur hominum laudes. Eas qui prædicant, plus debent iis quos laudant, quàm ipſis debent, qui laudantur. *Eraſm. lib.8 Apoph.*

M. Cato ſenior, conſpiciens multorum erigi ſtatuas: Malim, inquit, ut de me quærant homines, quamobrem Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm quare ſit poſita: Sentiens, ſe malle H
res præclaras gerere, ut alii ſcientes illum promeruiſſe ſtatuam, mirentur non eſſe poſitam. *Plut. in Rom. Apoph. & Plin. lib. de Viris illuſt.*

D. Augustinus rhetoricæ profeſſor Mediolani, cùm religionis ſtudio eam deſerere, & baptiſmum ſuſcipere vellet: ne ſuſpicionem aliquam ambitionis daret aliis, ſi in medio curriculo profeſſionem relinqueret: vindemiales ferias expectare voluit, qui profeſſionum terminus eſſe conſueverat: atque etiam tunc ſe propter reſpirationis difficultatem potiùs, quàm alia de cauſa, munus illud deſerere aſſerebat: ne ex hac voluntaria opimæ conditionis deſertione, gloriolæ fumum captare videretur. Teſtis ipſemet *lib. 9. Confeſſ. c. 2.*

NON PETENDO.

Phocioni, cùm nunquam ſupplicare populo ſuſtinuiſſet, & ideò comitiis intereſſe nollet, abſenti & invito honores delati ſunt. *Plut.*

L. Crassus nunquam adduci potuit, ut præſente Q. Scævola, more candidatorum, populo ſupplicaret. *Alexand. lib.4. c.1.*

OBSTANTES, IMPEDIENTES TOLERANDO.

Cùm defunćto Leoſthene, Lamiaci belli duce & fomite, verentes aliqui, ne dux ad exercitum Phocium miſſus bellum tranſigeret, hominem quendam ſubornaſſent obſcurum, qui exurgens in concione diceret, quòd amicus & condiſcipulus eſſet Phocionis, monere ſe, ut parcerent ei reſervarentque, cùm parem non haberent alium: Antiphilum autem exercitui præficerent, atque id populus probaret: progreſſus Phocion, demonſtravit, neque ſe unquam iſtius condiſcipulum, neque aliàs notum vel familiarem fuiſſe: verùm nunc, inquit, ex hodierno die amicitiam & neceſſitudinem ineo tecum, quandoquidem, quæ è re mea ſunt, conſuluiſti. *Plut. in Phoc.*

DECLINANDO, SIVE ID FIAT DEPRECATIONE.

☞ *Vide ſuprà, Contemnere Regnum, Conſulatum, Dictaturam.*

Gedeon Angelo dicenti ſibi: Vade, in hac fortitudine tua liberabis Iſrael: reſpondit, Ecce familia mea minima eſt inter Manaſſenſes, & ego minimus in domo patris mei. *Iudic. 5.*

Hieremias ad prophetandum vocatus, humiliter recuſavit. *Hierem. c. 1.*

Q. Fab. Max. ultimum conſulatum recuſavit, dicens ſe jam ſenem ac perfunćtum laboribus, laborum præmiis non ſolicitandum, cùm nec temporis nec animi vigor ille idem adeſſet. Ex qua recuſatione tantam laudem aſſecutus eſt, ut non minor inde illi auctoritas increverit, quàm ex iis quæ poſtea fortiſſimè in ipſo conſulatu geſſit. *Pont. lib. 2. de Magn.*

Q. Fab. Rutilian. cùm à ſe quinquies, & à patre, avo, proavo, majoribuſque ſuis ſæpenumerò conſulatum geſtum animadverteret, in comitiis, quibus filius ſuus ſummo conſenſu Conſul creabatur, quàm potuit conſtanter cum populo egit, ut aliquando vacationem hujus honoris Fabiæ genti daret: non quòd virtutibus filii diffideret (erat enim illuſtris) ſed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius, aut valentius, quæ etiam patrios affectus, qui potentiſſimi habentur, ſuperavit? *Val. Max. lib. 4. c. 1. & Plin. de Viris illuſt. c. 32.*

Aug. Cæs. Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nullo pectore deprecatus eſt. *Svet.*

Gordianus jam ſenex in Imperatorem electus, è grabbato ſurgens, Imperium oblatum detrectavit, humi projectus ſupplicando: ſed verò minis compulſus eſt ſuſcipere. *Volaterran. lib. 23. Anthrop.*

Annius Tacitus jam ſenex poſt Aurelii Imperatoris mortem, Metio Falconio adhortante, in Imperatorem electus eſt, licèt plurimùm propter ætatem ſe excuſaret. *Optatianus & Vopiſcus.*

Andreas Grittus ubi ſibi Venetorum Imperium delatum iri reſcivit, Patribus literas dedit, non eſſe è Republ. ſe qui non magnum in re militari uſum haberet, tot fortibus & claris bello viris, qui in ejus exercitu eſſent, præfici; neque id eos æquo animo laturos: itaque alia omnia cogitarent: ſe ſe nolle Imperium cùm invidioſum, tum ſuis majus viribus accipere. *Bembus lib. 10. Hiſt. Venetæ.*

REPREHENSIONE, CASTIGATIONE.

Publ. Scipio Africanus Pop. Rom. ſuccenſuit, quòd ſe perpetuum Conſulem & Dictatorem vellet facere. *Auctor vitæ illius.*

M. Rutilius Cenſorinus, cenſor iterùm creatus, ad concionem populum vocatum, quàm potuit graviſſima oratione corripuit, quòd eam poteſtatem bis ſibi detuliſſet: cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum judicaſſent. Uterque rectè, & Cenſorinus, & populus. Alter enim, ut moderatè honores crederent, præcepit: alter ſe moderato credidit. *Val. Max. lib. 4. c. 1.*

Mathias Ungariæ rex cum Uladislao Boemiæ rege Olomucæ cauſa pacis colloquium inſtituerat. Convivio regio Germanus hiſtrio rhytmis Germanicis, qua lingua rex comprimis delectabatur, Principum Chriſtianorum vires & arma ſocia contra Turcas veluti è catalogo proſecutus, Mathiam tandem belli ducem adjunxit, robur illi Giganteum & formam Abſaloniam affingens, ad extremum elogii hujus præmium regium flagitavit. Mathias in maximorum Principum conſeſſu perſonatum ſeſe introduci moleſtè ferens, hoc unum reſpondit: Non plus ſeſe illi quàm ſibimetipſi credere, & hanc ab illo decantatam virtutum ideam, calcar ſibi in poſterum fore, ut qualis non eſſet, talis evaderet. Tuis verò oculis ſi magis credas, quàm poeticæ fictioni, me nec Gigantem, nec Abſalonem in poſterum dixeris, ne eorum quoque, quæ ſoli Deo cognita ſunt, virtutis encomiorum fidem, mendacio eorum, quæ ſub ſenſus ruſticorum quoque cadunt, eleves. Præmium pluſquam regium tunc ſeſe daturum pollicitus, quamprimùm ſocias Chriſtianorum vires ſibi Sirene ſua excitas adduxiſſet. Una eademque opera & mimi adulationem, & Chriſtianorum Principum ignaviam reprehendens. *Ioachimus Cureus Sileſiæ Annalib.*

FUGA.

☞ *Vide Tit. Pontificatus, Epiſcopum, Regnum contemnere.*

Christus quinque panibus & duobus piſcibus quinquies mille viros, præter mulieres & parvulos, in deſerto Bethſaidæ cibavit. Cùmque eum populus rapturus eſſet, & vel invitum regem creaturus, Jeſus in montem ſeceſſit. *Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioann. 6.*

Triarium Maternum poſt Commodi Imperatoris mortem quia Pertinax ſenior, & tanto oneri parùm idoneus videbatur, exercitus creare Imperatorem volebat: Retinentibus ergo eum militibus, & electioni aſſentiri cogentibus, relicta veſte, quam milites apprehenderant, nudus ab eis profugit. *Fulg. lib. 4. cap. 1. ex Herod.*

Scribit *Flav. Vopiſcus*, legiſſe ſe in Elephantinis libris Ulpiæ Bibliothecæ, P. Annium Tacitum, ubi primùm in curia moveri ſenſit de Imperio ſibi decernendo, in Bajanum ſuum ſeceſſiſſe, ubi duos menſes procul ab urbe fuerit, eam dignitatem ut ſibi exitialem averſatus. *Sab. lib. 7. Enn. 7.*

Oddo Cluniacenſis monachus, à Bennone Abbate proximè deceſſuro ſuffectus, cùm fugam pararet, à fratribus comprehenſus, Epiſcoporum juſſu regimen invitus accepit, & multis miraculis nobilitatus eſt, Deo humilitati ejus gratiam conferente. *Marul. lib. 1. c. 6.*

Geminianus Mutinensis clericus, defuncto Antonio Epiſcopo, à populo electus fugit. Dum autem latitaret, & quæri dignus fuit, & inveniri. Joviniani Imperatoris filiam à dæmonio liberavit. Atila Italiam vaſtante, ſuos non repugnando incolumes ſervavit. Ipſo enim orante, hoſtis apertis portis urbem mediam innoxius percurrit. *Marul. lib. 1. c. 4.*

Gregorius Magnus Papa cum Pontificatu palàm repudiare ſibi integrum non eſſet, inhibente populo, clandeſtina fuga ab urbe decedere decrevit. At cùm exitum omnem diligenti ſeptum cuſtodia videret, dolio ſe exportari fecit in vicinum montem, & in ejus antro latuit. Cæterùm cùm quæreretur, lucida nubes loco incumbens, prodidit latentem. *Marul. lib. 1. cap. 5.*

Isaac monachus cùm reſciſſet decerni ſibi presbyteratum, de Scythia tranſmigravit in Ægyptum, vaſtæ ſolitudinis ſeceſſum quæritans, ut hominum effugeret conſpectum. Sed qui divinitùs eligebatur, latere non potuit. Cùm enim fratres in Ægyptum uſque illum quæſitum profecti eſſent, & aſellus, quem ſecum habebant, per deſertum fugiens, ad ſpeluncam ipſius ſubſtitiſſet: eò inſecuti, dum aſellum comprehendunt, monachum inveniunt. Ille ubi ſe muti animalis indicio deprehenſum agnoviſſet, fratrum votis annuens, Presbyteri officium ſuſcepit. *Marul. lib. 1. c. 6.*

Ephrem Nisibensis, eremita doctiſſimus, quique multa ſcripſit, oblatum Epiſcopatus honorem ſimulatione inſaniæ reſpuit. Inde fuga elapſus, tantiſper latuit, donec alius Epiſcopus legeretur. *Saxon. lib. 7. c. 34.*

Mortuo Joanne Dandulo Venetorum duce, nominatim Jacobum Teupulum ducem populus poſtulabat. Quam vulgi temeritatem vir optimus, & publicæ quietis amicus, vehementer averſatus, clandeſtinè urbe egreſſus, Marochium ſe contulit: ubi diſſimulata perſona tam diu latuit, donec ſedato tumultu, Petrus Gradonicus ex Patricii ordinis ſententia dux fuiſſet declaratus. *Sab. lib. 10. Dec. 1. Idem lib. 7. Enn. 9.* in ſuburbanis eum latuiſſe inquit. At *Fulg. lib. 4. c. 1.* in Africam eum navigaſſe auctor eſt.

Andreas Contarenus Venetorum dux creatus, præſagio quodam futurorum dignitatem adire recuſavit: conceſſeratque ob idipſum in Patavinum agrum, tandiu urbe abfuturus, quoad nova alterius ducis declaratio ſecuta eſſet. Sed cùm ab amicis moneretur, niſi decreto Patrum obſecundaret, publicatis omnibus bonis, exilium ipſi imminere, Venetias rediit. Et ſanè conſtat, eo principe Rempublicam externis bellis vehementer jactatam, & in urbe magnoperè annona laboratum. *Sab. lib. 4. Dec. 2.*

OCCULTATIONE.

Saul à Samuele rex unctus, apud Maſpham denuò ſorte electus, apud impedimenta latebat. *1. Reg. 10. & 11.*

Dominus noſter Jesus-Christus leproſos mundat, cœcos illuminat, infirmos curat, ſurdo & muto aurium linguæque officium inſtaurat. Et tamen ſingulis, nemini quiquam dicant, injungit. Archiſynagogi filiam à morte ſuſcitaturus, turbam juxta cadaver tumultuantem abſcedere præcepit: nec in publico, ſed domi vitale operatus eſt remedium, ne popularem gloriam expetere videretur. *Marul. lib. 1. c. 4.*

Apoſtoli Dominica veſtigia ſecuti, ad confirmationem prædicatæ fidei in propatulo quidem miracula operabantur: revelationes autem viſionumque myſteria, niſi neceſſariò in vulgus proferenda eſſent, occultabant.

Paulus Apostolus, cum raptus in tertium cœlum, ſive in corpore, ſive extra corpus, audiſſet arcana verba, quæ non licet homini loqui: annos quatuordecim rem tantam ſilentio texit, conſcientia ſua contentus, donec Corinthiis (veritus ne pſeudo-apoſtolos ſibi vel ſui ſimilibus præferrent, alienati à veritate, quam ab ipſo didicerant) eam aperuit, palàmque fecit. Sed & hanc gloriandi neceſſitatem inſipientiam vocat: Factus ſum inſipiens, inquit, vos me coegiſtis; ego enim à vobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum. *Marul. lib. 1. c. 4.*

Venerat Hilarius ad Iſacum & Peluſianum Monachos, D. Antonii diſcipulos in Thebaide, & ut ſibi locum tumuli ejus oſtenderent, rogabat. Qui cùm ſeorſùm eum abduxiſſent, utrum monſtraverint, necne, ignoratur: cauſam occultandi juxta præceptum Antonii fuiſſe referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam ſancti corpore, martyrium fabricaretur. *Hieron. in vita Hilar.*

Antalcidas, cum in Samothracia ſacris initiaretur, interrogatus à ſacrorum antiſtite, Quidnam præclari geſſiſſet in vita? Si quid, inquit, feci, quod laude dignum eſt, deos nequaquam latet. Et ſic modeſtè tacuit, ne ſe vel immodicè laudare, aut turpiter vituperare diceretur. *Plut. in Lac.*

Venit Democritus Athenas, nec ſtuduit cognoſci, ut qui gloriam contemneret; nec Socratem cognovit, nec ab eo cognitus fuit. *Laert.*

MORBI PRÆTEXTU.

Fur. Camillus quartùm Dictator ad ſedandam populi ſeditionem factus, valetudinem ſimulavit, & alter ei ſurrogatus eſt. *Volater. lib. 14. c. 2. Anthrop.*

MUTILATIONE.

Marcus quidam Eremita, ut ſacerdotio reprobus haberetur, pollicem ſibi amputaſſe dicitur. Veruntamen (ut ait Hieronymus) tantùm conſentiens fidei prædeſtinata potuit electio, ut nec ſic in opere verbi perderet, quod priùs meruerat in genere. Cùm enim ex Levitis eſſet, ut Alexandriæ Epiſcopus fieret, eò compelli dignior fugit, quò magis refugit. *Marul. lib. 1. c. 6.*

Antonius Anachoreta, ne eligeretur Epiſcopus, lævam ſibi auriculam ferro præſecuit. *Cæl. lib. 10. c. 4. A. L.*

Ammonium, Origenis Didymique diſcipulum, aurem ſibi præcidiſſe ferunt, ne idoneus Epiſcopali officio haberetur: & cum nihilominùs ad eam dignitatem ſuſcipiendam ab omnibus urgeretur, etiam linguam ſibi ſe amputaturum, niſi miſſum facerent, proteſtatus eſt. Tam periculoſam rem Epiſcopatum putavit, ut inde membrorum mutilatione ſe redimere non dubitarit. *Marul. lib. 1. c. 6.*

MORTE.

Lamon monachus mori præoptavit, quàm Epiſcopus vivere. Hierapoli enim electus, nullis ſuaſionibus adduci potuit, ut electioni aſſentiret. Cùmque Theophilus Epiſcopus fortè ex itinere eodem loci divertiſſet, atque itidem ſuaderet: quando jam tantæ auctoritatis viro apertè refragari difficile erat, diem ad deliberandum impetravit. Dum autem in ſolo loco genibus provolutus, toto eo tempore ſecretæ precationi intendiſſet, inventus eſt efflaſſe animam. Hoc ipſum petenti illi divinitùs indultum credi par eſt, verenti utique, ne ſi Epſcopum gereret, quæ Epiſcopi ſunt, præſtare non poſſet: aut ſi præſtitiſſet, ne vel ex hoc in elationem aliquam mentis incidens, illis jam tandem comparandus evaderet, quibus dicitur: Væ vobis, qui diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro! *Marul. lib. 1. c. 5.*

S. Goar Monachus, in Gallia à Rege Sigeberto ad Trevirenſem Epiſcopatum vocatus, poſtquam recuſando nihil ſe proficere videret, triginta dierum manendi in monaſterio moram, quaſi res ſuas expediturus, petiit. Interim in cellula ſua ſe includens, Dominum precatus eſt, paratum ſe ad omnia dura pro illius amore ſuſtinenda, tantùm hoc Epiſcopalis officii onere ſe gravari non ſineret. Mox ergo febri correptus, reliquum vitæ in lectulo æger peregit, ne ſanus ad præſulatum cogeretur. *Ibidem.*

RESPUENDO.

Pylii cùm decreto ſtatuiſſent Theopompo ſummos honores, ipſe renuit: Mediocres honores ipſum tempus augere, immodicos verò abolere, dicens. *Plut. in Lac.*

Cùm Hermodo Antigonum regem in carminibus Salis filium appellaſſet: Non idem dicat, inquit, laſanum qui mihi ſubjicit. *Plut. in Reg. Apoph.*

Libanius Sophista, tempore Juliani Apoſtatæ Conſtantinopoli profeſſus, Jo. Chryſoſtomum moriens ſucceſſorem nominavit. Verùm is gratia Spiritus ſancti illuſtratus, meliorem partem elegit. *Middendorpius de Academiis.*

DERIVANDO, TRANSFERENDO.

IN ALIUM.

☞ *Honorem hic perpendimus, quatenùs offertur. At quatenùs poſſidetur, ſic ad φυλακῆς modum pertinet. Vide ſuprà, Contemnere Imperium, Regnum, Pontificatum, Conſulatum.*

IN DEUM.

A Piſcatoribus, in Mileſia regione verriculum trahentibus, quidam jactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica menſa, orta controverſia eſt, illis piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus, hoc fortunæ ductus emiſſe dicente. Qua contentione propter novitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad univerſum ejus civitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum conſuli, Cuinam adjudicari menſa deberet? Deus reſpondit: Illi eſſe dandam, qui ſapientia cæteros præſtaret, his verbis:

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς,
Ὃς σοφίῃ πάντων, πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Tunc illi uno conſenſu Thaleti menſam dederunt: ille ceſſit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinùs alii: deincepſque per ſeptem Sapientum orbem. Ultimò ad Solonem pervenit, qui & titulum ampliſſimæ prudentiæ, & præmium, ad ipſum Apollinem tranſtulit. *Valer. lib. 4. c. 1. Laert. in Thalete.*

Pytho, Athenienſibus ob res feliciter geſtas ipſum admirantibus ac prædicantibus, quòd Cotim regem Thraciæ interemiſſet: Diis, inquit, habenda eſt gratia, quibus auctoribus hoc facinus præclarè geſtum eſt; nam ipſe nihil aliud quàm manum & operam meam commodavi. *Plut. in Polit.*

Timoleon Corinthius, cùm ſuas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quàm ſe in ea re maximas diis gratias agere atque habere, quòd cum Siciliam recreare conſtituiſſent, eum potiſſimùm ducem eſſe voluiſſent. Nihil enim rerum humanarum ſine deorum numine agi putabat. Itaque ſuæ domi ſacellum αὐτοματίας conſtituerat, idque ſanctiſſimè colebat. *Probus in ejus vita, & Plut. in Polit.*

Titus Vespasianus, captis Hieroſolymis, cùm omnia loca cadaveribus impleviſſet, & à finitimis gentibus ob victoriam corona aurea ei offerretur, reſpuit, dictitans ſe tali honore indignum. Non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Judæos demonſtranti, ſuas manus prebuiſſe. *Philoſt. in vita Apoll.*

Constantinus Magnus, victo Maxentio tyranno, nec in laudes acclamantis populi, nec in plauſum tantæ urbis animos relaxavit: neque ſuæ virtuti rem geſtam, ſed divino muneri attribuit. Mox ubi imagines ſibi triumphanti Senatus erexit vexillum Dominicæ crucis in dextra ſua juſſit depingi, & ſubter adſcribi: In hoc Signo ſingulari, quod eſt veræ virtutis inſigne, urbem Romam ſenatumque & populum Romanum, jugo tyrannicæ dominationis ereptum, priſtinæ libertati nobilitatique reſtituit. *Euſebius lib. 9. & Nicephorus lib. 7. cap. 30.*

A

IN COLLEGAM.

S.P.Q.R. cùm ei propter externa bella Sabinorum, civileſque motus, neceſſarium videretur, Dictatorem dicere, T. Largio & Q. Clælio Conſulibus, quorum virtuti fidebat, alteri ipſorum Dictatorem dicendi munus demandavit. O ingentem temperati animi modeſtiam! Quicquid contentionum alii ſuſcepiſſent, ut ipſis honor demandaretur, id totum inter eos conſumptum eſt, ut ipſum honorem collega acciperet; biduoque conſumpto in tam honeſta mutuò transferendi in collegam honoris concertatione, vix tandem Senatus ac collegæ precibus victus, Dictaturam T. Largius ſuſcepit, ſemper affirmans, eo honore Clælium ſe digniorem eſſe. *Fulg. lib.4. c.1. ex Dion. Halicar. lib.5.*

IN QUOSVIS ALIOS.

Henricus Caſtellæ rex, moriens, Joannem puerum vi regni ſucceſſorem reliquit: eique tutores dedit tres, præcipuum B verò Sancium Rodericum Davalos militiæ præfectum, Ferdinando Fratre præterito. Præfectus militiæ (cujus voce is, qui rex futurus eſt, pro more nuncupari debet) quid ageret hæſitabat, etſi regnum puero datum volebat. Monebatur autem cùm ſuo ipſius judicio, tum procerum populorumque fremitu: Non enim eſſe ex uſu regni expectare, donec anniculus adoleverit, ſi modò adoleſcere daretur, cùm Ferdinandus jam adultus præſtò ſit; expectare, qualis puer ſit evaſurus, cùm adſit is, qualis voto expetendus eſſet; committere regni gubernacula regiis ſatellitibus, & eum qui ſit Rege patre, fratre, regali animo clarus, excludi à paterno regno, ac ſubjici cum tanta ſobole regii generis libidini tutorum, ut per ſpeciem adminiſtrationis in exilium agant, in carcerem conjiciant, in necem cum omni ſtirpe præcipitent, quò ipſi impuniùs tyrannidem occupent, vel fato, vel fraude extincto pupillo, ut florentiſſimæ domus familia brevi tempore omnis in nihilum recidat. Præſtare igitur, ut Ferdinandus ſuccedat in regnum, illudque poſtea Mariæ primigeniæ fratris, Alfonſoque primigenio ſuo, quos priùs juraverant populi in ſe regnaturos, per manus tradat, aut Joanni, ſi dignior qui regnet videretur. C Hæc atque hujuſcemodi verba exaudiens præfectus, ut tenebat manu vexillum, ſtabatque ante Ferdinandum atque omnem cœtum, uti ſe omni invidia exolveret: Quem, inquit, me jubes, fili Regis Ferdinande, nuncupare Regem? tene, an Alfonſum, an Joannem? Fecit hac interrogatione, quod ipſe erat in aliena, illum in ſua ipſius cauſa arbitrum. Tot cauſis, tanta occaſione, tanto hominum conſenſu, ad tantam ſpem vocatus, protinùs: Et quem, inquit, alium nuncupabis, quàm Joannem? Quòd ſi non audes, me imitare ipſum: & aſſumpto in humero infantulo, ſicut erat ſtatura ſublimi, ex loco ſuperiore exclamavit: Joannes eſt rex; dicite omnes, Rex Joannes. Quam vocem admirati univerſi, & ipſi ſubſecuti ſunt, clamantes identidem, Rex Joannes. Ita Ferdinandus, hac conſilii celeritate non dato hominibus ſpatio deliberandi, rapuit eorum exceſſitque judicium, ac tacitè defuncto Regi exprobravit inconſultam ſuſpicionem, qui talem fratrem, ſe quoque meliorem, non bellè tractaſſet. Ac ne quid de animo in dubium revocari queat, omne reliquum vitæ tempus declarat, Ferdinandum non aliter perſeveraſſe, quàm inceperat. *Valla lib.1. de Ferdinando, & Pontanus lib.1. de Magn.*

D Vitali Michaele Duce Venetorum, populari tumultu interfecto, inclinabant omnium ſuffragia in Aureum Maſtropetrum. Cæterùm ejus admonitu Sebaſtianus Zianus, vir ſapiens atque admodùm dives, qui ea temporum novitate, ob amplum patrimonium, multò utilior Reipublicæ futurus videbatur, prærogativa illa ſuffragiorum antiquata, dux declaratus eſt. *Sab. lib.5. Enn.9.*

Mortuo Rodolpho Cæſare, filius ejus Albertus prenſabat magno ſtudio Imperium: ſed in ſuffragiis Electorum principum adhuc tacitis, longè prævalebat Venceslaus quartus Boemiæ rex, Rodolphi genere; ad quem deinde apertè à majore Electorum parte, ut olim ad patrem Othocarum, honor ille ultrò deferebatur. Cæterùm non eodem filius, quo pater, faſtu & contemptu, ſed per ſummam animi moderationem, qua ſe intra fines curaſque regni ſui continebat, honorem ſibi delatum accipere gravabatur: præteritoque Alberto & familiaritate & neceſſitudine devincto, ut dolum ejus in occupanda Auſtriæ parte, uxoris ſuæ dote, ulciſceretur, Adolphum Naſſoviæ Comitem, nec opibus, nec dignitate illi parem, ac fama tantùm notum, Imperatorem nominavit, cæteris quoque Principibus eam nominationem comprobantibus. *Dubravius lib.18.* E

Hungari Venceslaum regem Boemiæ & Poloniæ contra Carolum Robertum, à Bonifacio VIII. Papa illis obtruſum, elegerant. Legati properè miſſi, rati eum alacrem cum gaudio illud accepturum, audivere cum vultu demiſſo gratias benignè agentem, quòd ſe dignum duxerint, quem regem Hungariæ appellarent; ſed ſibi nullo ampliùs regno opus eſſe, cùm duobus iſtis, quæ poſſideat, plus ſatis oneretur. Nec ulla perſuaſione de hac ſententia dimoveri potuit. Ad extremum tamen exorari ſe, quanquam cunctanter admodùm, paſſus eſt, ut filium ſibi cognominem Venceslaum, vix decennem, daret Hungaris Regem. Venceslaus inde videns, filium diſſolutiore educatione ab Hungaris corrumpi, & propter inteſtina odia in magno verſari periculo, cum exercitu in Hungariam profectus, miſit Budam ad filium, ei injungens, ne Danubium trajiceret, neve in conſpectum parentis prodiret, niſi coronatus corona illa, quam Hungari ſanctam vocarent. Juſſa facit filius. Venceslaùs aliquandiu coronam contemplatus, ſeponi illam juſſit, quaſi diligentiùs paulò pòſt conſideraturus; nec inde illam Hungaris reſtituit, prætendens futura pericula, ſi illa vel F amitteretur, vel per vim ab æmulo interciperetur: ſed unà cum filio ſecum in Boemiam aſportavit, Patermanno Budæ relicto, qui præfecturam gereret. At eo ad ſedandos graviores tumultus invalido, & civibus per avaritiam, proceribus per contemptum inviſo: ab Hungaris electus fuit Otho Bavariæ princeps. Nec is regnare abnuit, ſi Venceslaus pro derelicto regnum illud haberet. At Venceslaus tam nobile regnum nullo in fructu ſuo, ſed in mero planè beneficio reponens, largitus eſt promptiſſimè Othoni gratuitam coronam, cum omni jure, quod filius in regnum Hungariæ habebat. *Dubrav. lib.18.*

Uladiſlao rege Poloniæ & Hungariæ ad Varnam cæſo, ſoliciti Poloniæ proceres de ſucceſſore, Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, qui pueritiam in regno tranſegerat, linguamque gentis & mores tenebat, ut regnum acciperet, rogaverunt. Reſpondit ille: Caſimirum Lituaniæ ducem, qui frater eſſet defuncti, hæredem extare: ſciſcitari ejus animum oportere. Itaque Caſimirus non tam Polonorum gratia, quàm Friderici juſtitia, regnum conſecutus eſt. *Æneas Sylvius c. 26. Europæ, & Fulg. lib.4. c.1.*

G Fridericus Elector dux Saxoniæ, à reliquis Electoribus Germanorum Imperator electus eſt, anno Chriſti 1519. poſt obitum Maximiliani. Sed ingenti animo delatum Imperium recuſavit, ſuoque ſuffragio Carolum V. Imperatorem deſignavit. Oblatam eo nomine magnam pecuniæ vim à legatis Caroli rejecit, neque ſuos vel teruncium accipere permiſit. *Sleidanus lib.3.*

ACCEPTANDO ÆGRE.

Qui Honores.
acceperunt,

INVITI, COACTI.

Epaminondas Thebanus, primus qui patriæ lumen nomenque inter Græcos attulit, imperia magiſtratuſque invitus geſſit: ita tamen, ut ornamentum non accipere, ſed dare ipſi dignitati videretur. *Juſt. lib.6. & Plut. in ejus vita.*

Numa Pompilius, ad regnum à Romanis vocatus, diu reſtitit: nec niſi poſt multas Pompilii patris & Martii amici preces H & admonitiones illud ſuſcipere voluit. *Plut. in Numa.*

Veſpaſianus Judaico bello occupatus, mortuo Nerone, cùm ei Galba ſucceſſiſſet, eoque interfecto, Otho, mox Vitellius, à militibus vel invitus, ſtrictis etiam gladiis, Imperatoris nomen ſuſcipere coactus eſt. *Joſephus lib.5. c.10. Belli Judaici.*

Saturninum Gallum Aurelianus orientalis limitis exercitui præfecerat, ſimulque præceperat, ne Alexandriam adiret, velut in futurum præſenſiſſet, ut Alexandrinorum inconſtantia ille ad res novas aliquando conſurgeret. Potuit tum Saturninus inhiberi, ſed fatum tolli non potuit. Inviſit ille Alexandriam, etſi Aureliano extincto, Probo imperante, ac ſimul urbem ingreſſum, Alexandrini tumultuosè Auguſtum ſalutarunt. Is ubi parùm abeſſe ſenſit, ut jam pro hoſte haberetur, veritus ne accenſæ multitudini reſiſtendo vim pateretur: In apertum vitæ diſcrimen me trahitis, inquit; verùm hoc mihi erit ſolatium, malorumque omnium levamen, quòd non ſolus cadam. Ac quaſi divinaſſet, haud multò pòſt à Probi principis militibus obſeſſus ac captus eſt, abſenteque & invito jugulatus. *Sab. lib.7. Enn.6.*

P. An-

A P. Annius Tacitus à Senatu Imp. dictus, multùm diuque reluctatus, nunc ætatem jam propemodùm decrepitam, nunc corporis infirmitatem excuſare. Cui reclamatum eſt: Trajanus jam ſenior imperium cepit, Adrianus cepit, Antonius cepit: Imperatorem ſe creaſſe, non militem: Imperatoris eſſe præcipere, militis pugnare: Nec à Severo principe fruſtra prædicari ſolitum, Caput imperare, non pedes. Quo ille conſenſu victus, præſenti patrum ſtudio ceſſit. *Vopiſcus.*

Decius Imp. creatus à militibus Illyricis invitus & repugnans, jus quintæ relationis, proconſulare imperium, jus tribunitiæ poteſtatis arbitrio S.P.Q.R. permiſit, contentus Patris patriæ cognomine. *Cuſp.*

Gratianus Imper. bello Germanico à perſequendis in Thracia Gothis revocatus, Sirmii convocatis optimatibus, in Comitium venit: ac palàm præſentem Theodoſium ducem Hiſpanum alloquutus, ipſi ſe committere velle Orientem oſtendit. Ei Theodoſius gratias egit, atque honorem, cujus magnitudinem ſuſtinere non poſſet, verbis, quoad potuit, à ſe avertit. Verùm Gratianus in benè cœpto perſiſtens, illum, B licèt reluctantem, Auguſti nomine inſignivit. *Sigon. lib.8. Imp. Occid.*

Bamba, nobilitate ſanguinis illuſtris, cùm poſt mortem Recinſvindi magno omnium procerum conſenſu in Regem Veſtgothorum in Hiſpania eligeretur, ægrè poſt longam deliberationem induci potuit, ut ſuam libertatem tam gravi ſervitute permutaret. Nec paſſus eſt ſe regem nominari, donec per manus Pontificum inunctus & coronatus eſſet.

Poſt Henricum V. Imp. liberis orbum Lotharius Saxoniæ dux invitus à Proceribus Imperii electus eſt Moguntiæ, quatuor competitoribus aliis Principibus potentiſſimis præteritis A.D. 1126. *Cuſp.*

Mortuo Gregorio VII. Papa, Cardinales atque Epiſcopi omnes in unum Deſiderium Abbatem Caſſinatem conſenſerant. Quorum ille repudiato judicio, ad monaſterium ſe retulit, & Romanos ac Lombardos, quoſcumque potuit, literis ac nunciis ad complectendam Eccleſiam incitavit. Ubi verò calores æſtatis deferbuerunt, Jordanes Deſiderium Romam perducere conatus, eo animo, ut ipſum etiam reluctantem Pontificem declararet, perſuadere non potuit: atque ita C res pontificia prorſus anno 1085. refrixit. Sequente Epiſcopi & Cardinales multi ex diverſis partibus Romam ſub Paſcha profecti. Deſiderio renunciarunt, ut Romam accederet, ac ſecum omnes Epiſcopos & Cardinales, qui Caſſini erant, unàque Giſulfum Salernitanum principem duceret, ut primo quoque tempore de conſtituenda Eccleſia conſultarent. Quorum mandato ille, omni prorſus de ſe ſuſpicione poſt tot menſes abjecta, obedivit. Pridie autem Pentecoſtes comitiis advocatis, omnes & clerici & laici Catholicæ partis fautores ipſum orarunt, ut Romanum pontificatum ſuſcipere vellet, neque Eccleſiam Dei ab adulterino teneri Pontifice pateretur. Ille verò eadem, qua antè, conſtantia preces eorum repudiare, ſeque omnia paſſurum potiùs, quàm ut tantum onus acciperet, reſpondere. Qua voce audita, quia ſerum erat diei, omnes domos ſuas abierunt. Poſtridiè verò obſecratus, ut quem idoneum maximè judicaret, exprimeret, ille, re cum Cincio Conſule Romano communicata, Othonem Hoſtienſem Epiſc. nominavit, ſeque, quem ipſi legiſſent, in Caſſinati cœnobio, contra Clem. III. Antipapæ ab Henr. III. Imper. dicti potentiam, cuſtoditurum ſubjecit. Pleriſque inde in D Hoſtienſem inclinantibus, tum verò Cardinalis quidam: Ne Deus ſciverit, inquit, quin Deſiderium pontificem habeamus. Qua voce erecti cæteri, Deſiderium uno conſenſu prehenderunt, & ad ædem S. Luciæ perduxerunt; & ritè electum, ac Victoriis III. nomine affectum, chlamyde coccinea exornarunt; albam enim renitenti non potuerunt imponere. Poſt quatriduum Victor Roma egreſſus, Ardeam & Tarracinam adiit: ibique Pontificem ſe eſſe nolle profeſſus, crucem, chlamydem, & cætera pontificia ornamenta depoſuit, & Caſſinum reverſus, nulla ratione Romam reduci potuit. Sequenti, per Quadrageſimæ tempus conventus Capuæ actus eſt, cui Victor cum Epiſc. & Cardinalibus præfuit. Eo peracto, repentè clerici & laici omnes novis illum ſolicitare precibus inſtiterunt, ut pontificiam dignitatem reſumeret. Quas cùm per biduum ſpreviſſet, demùm Duce, Principe, Epiſcop. & Cardinalibus ad pedes obſecrandi cauſa procumbentibus, ceſſit: ac duodecimo Kalend. April. in feſto Palmarum ſuperiora comitia, cruce & chlamyde reſumpta, confirmavit. *Sig. lib.9. Regni Ital.*

Ludovic. Ungariæ rex à Caſimiro Magno rege Poloniæ in ſucceſſionem regni adoptatus, petentibus Polonorum legatis, & Ungarorum proceribus, ut provinciam ſuſciperet, reſpondit: Non ſatis intelligere, neque hos quid ſuadeant, neque illos quid petant. E neutrorum enim id re fore: ſicuti ne duobus quidem gregibus expediat, unum habere paſtorem. Satis & abundè eſſe negotii, uni populo præeſſe. Duas Reſpub. vix ulla ratione, ſive alterutrius, ſive adeò utriuſque malo & incommodo ab uno adminiſtrari poſſe. Ita tunc Ludovicus. Sed tandem victus precibus oratorum, annuit. *Cromer. lib.13.* E

Jacobus Sadoletus à Leone X. Carpentoractenſi Eccleſiæ præfectus abſens, parere noluit, priùs quàm ſub obedientiæ voto parere cogeretur, hac conditione viciſſim extorta, ut ne ultra tres menſes à Carpentoractenſi grege ſuo abeſſet. Paulo III. galerum cardinalitium remiſſurus fuerat, niſi amicorum precibus & minis prohibitus fuiſſet. *Hier. Garimber. lib.2. de vitis Pontific.*

FLENTES.

Poſthumius monachus, à Macario Abbate morituro in locum ſuum ſuccedere juſſus, diù recuſavit. Verùm obedientiæ preſſus jugo, flens tandem regendi monaſterii munus ſuſcepit. Et quia ex humilitate ſibi prorsùs diffidebat, ab Angelo præcepta inſtitutioneſque accepit, quibus fratres inſtruendo, in omni ſanctitatis genere reddidit perfectos. *Marul. lib.1. c.6.* F

Benedictus III. Pontifex maximus, poſt Leonem ad pontificatum vocatus, diù lacrymis reſtitit, dum ſe tanto honore indignum diceret. Sed tandem eum honorem aſſumere coactus, ita ſe geſſit, ut electionis auctores nunquam pœniteret. *Fulg. lib.4. c.1.*

Æneas Sylvius, Pontifex Romanus, ſub Pii II. nomine Comitiis Cardinalium proclamatus, prorupit in lacrymas. Attonitus aliquandiu cùm excitaretur, & lætandum eſſe contenderent, dixit: Lætari tanto faſtigio imperii eos poſſe, qui labores & pericula non cogitarent: ſibi verò jam omnia præſtanda aliis fore, quæ ipſe ab aliis, & in Germania, & in Pannonia, & in Italia toties poſtulaſſet. Cùm à Cardinalibus & cœtu antiſtitum, ac poſtridie à civibus per ordines ſingulos conſalutaretur, eodem perſtitit vultu. *Campan. in ejus vita.* G

CUM CONDITIONE.

Jovinianus quum poſt Julianum Apoſtatam in Perſide ad Imperium raperetur, clamabat: Nolle ſe infidelibus imperare, quum ipſe eſſet Chriſtianus. Cui reſponſum eſt à militibus omnibus, ſe quoque Chriſti fidei eſſe obnoxios. *Niceph. lib.10. cap. 38. Eutrop. lib.11. Socr. lib.3. c.22.*

GLORIÆ CONTEMPTUS, ſecundùm ΛΗΨΙΝ, reſpectu Finis. Cur contemnatur.

Causa ſcilicet alicujus.

BONI CONSEQUENDI declarandi, conſervandi,

V. G.

Pietatis.

Iſraelitæ à Gedeone Joæ filio, poſt victoriam illam inſignem de Madianitarum 235. millibus partam, poſtularunt, ut ſibi imperaret tum ipſe, tum filius ejus atque nepos. At Gedeon renuit, Deum in eos imperium habere dictitans, & domi ſuæ privatus vixit. *Jud. cap.8.*

FIDEI ERGA H

Patriam.

Andreas Auria Genuam patriam variis agitatam viciſſitudinibus dominationis Fregoſiorum, quibus Galli, & Adurniorum, quibus Cæſar favebat, tandem Gallorum amicitiæ valedicens, libertati reſtituit. Cohortantibus quibuſdam civium primatibus, ut dominatum civitatis, quem bona ſors offerebat, ſuſcipere vellet, ejus rei peramplum munus mira animi integritate atque conſtantia renuit, quum diceret, ſibi exactæ propè ætatis ſeni, & ſatis opulento, nulliſque innixo liberis, ineptum fore principatus nomen; ſatiuſque omninò eſſe, & multò glorioſius, id donum patriæ dedicare, quàm inde à quoquam privato cive, vel externo principe, qui ſua ope ad imperium provehi poſſet, amicitiam & gratiam promereri, quando nihil ad veram laudem uberius, vel ad dignitatem honeſtius, vel denique ad reliquæ vitæ felicitatem firmius atque ſplendidius fore judicaret, quàm æternæ ſuæ erga patriam munificentiæ trophæum, poſt excuſſum ipſius auſpiciis diuturnæ ſer-

A ſervitutis jugum in foro memoriaque hominum, liberatæ à ſe patriæ ſtatuiſſe. *Jovius lib. 26. hiſt.*

Principes.

Gothi victi propemodùm à Beliſario, apud eum egerunt, ut qui ipſos Juſtiniani auſpicio armis perſequebatur, Italiæ ſe regem faceret: polliciti, ſi id agere voluiſſet, ſe ſine contentione imperata facturos; adeò eum propter immenſas virtutes amabant, Juſtiniani autem avaritiam abhorrebant. Is cùm ambiguis verbis annuiſſe videretur, dicto audientes per aliquod tempus Gothos habuit, Ravennaque & Vitige potitus eſt. Cæterum poſteaquam ob ejus rei ſuſpicionem ab Italia Juſtinianus eum revocavit, Gothi cùm intelligerent, profectionem eum parare, Papiæ Idoaldum regem crearunt: qui ſtatim ad Beliſarium miſit, ſi ipſe Italicum regnum ſuſcipere vellet, ſe ad eum iturum, & regno, quod à Gothis accepiſſet, ei ceſſurum. At id Beliſarius apertè abnuit ſe facturum. *Fulg. & Eg. lib.4.cap.1.*

Subditos.

Neapolitani cives, cùm ob virtutem & clementiam Alphonſi regis decreviſſent uno conſenſu omnes, arcum regi triumphalem ad memoriam honorificè ſtruere, elegerunt locum ſuper gradus marmoreos majoris Eccleſiæ. Id verò quan- B doquidem fieri non poterat, ni magna ex parte dirueretur Nicolai Mariæ Bruzurii, magnanimi & ſtrenui militis, domus, rex fieri omninò hoc prohibuit: Haud tanti ſe facere, inquiens, hujuſmodi ſaxorum ſtruem ventis imbrique obnoxiam, ut amici domum ideò everti pateretur. *Panomitan. lib.1. de Alfonſo.*

Amicos.

Verùm poſt Vitigem Gothorum regem patruum, bello captum, quem Beliſarius Conſtantinopolim captivum miſerat, cùm ad eum ob ſingulares virtutes Gothi regnum deferrent, minimè aſſentiri voluit. Affirmabat enim, quanquam captivus eſſet Vitiges patruus, tamen quia legitimus Gothorum rex eſſet, locum ſe ejus, dum viveret, quia injuſtè id fieret, occupaturum non eſſe. Gothi cùm ſine rege manere nollent, Idoaldum crearunt. *Joan. Magnus lib.12. ex Procopio.*

Michael Zilagius, quum in regiis comitiis Mathiam Corvinum, ex ſorore nepotem, Ungariæ regem declarandam gravi oratione ſuaderet, pars magna procerum Michaelem C ipſum optandum regem eſſe prædicabat. Ille verò nepotis gratia obnixè recuſavit. *Bonf. lib.9. Decad. 3.*

Alberto Ladislai patre vita functo, Bohemi & Hungari Fridericum Cæſarem ſibi regem petebant. Fridericus ubi offerri tantum ſibi honorem animadvertit: Abſit à me, inquit, hoc ſcelus, ut patrueli meo paternam hæreditatem auferam. *Aeneas Sylv. lib.2. Com. de rebus geſtis Alphonſi.*

Hoſtes.

Argivis iterùm à trecentorum marte ſignis collatis, ad internecionem cæſis, monebant Polydorum Lacedæmonium ſocii, occaſionem ne elabi ſibi ſineret, ſed adoriretur hoſtium muros, urbemque reciperet: pronum id fore viris cæſis, relictis fœminis: reſpondet eis, Pari marte prælianten vincere hoſtes, eſt mihi honeſtum. Enim verò eum, qui de finibus dimicavit agri, affectare urbem capere, haud cenſeo verum. Adſum namque ad recipiendum agrum, non ad potiendum urbe. *Plut. in Apoph.*

QUIETIS.

Jon apud Xuthum patrem, Athenienſium regem, cupiebat D potiùs manere in templo Apollinis, ubi vitam agebat quietam, & tranquillam, quàm Athenis eſſe rex, vel dominus: ubi ipſi cùm inter pericula, tum curas & labores, perpetuò vivendum eſſet. *Apud Eurip. in Ione.*

DIGNITATIS.

Libanius ſophiſta Antiochenus, præfectura palatii Conſtantinopoli ornatus (par enim erat adminiſtrandæ Reipublicæ, & cauſis civilibus) accipere noluit, Sophiſtam prefecto majorem eſſe inquiens. *Eunap. in ejus vita.*

MALI PRÆTERITI, PRÆSENTIS, futuri. Quoniam vel NON DECET ACCEPTARE propter *Infelicitatem.*

Confregit Rempub. Terentius Varro, Cannenſis pugnę temerario ingreſſu. Idem Romam reverſus, honorificè à patribus exceptus, actæ inſuper gratiæ, quòd Rempub. deſerere morte E noluiſſet, delatam ſibi ab univerſo Senatu & populo Dictaturam recipere non ſuſtinendo, pudore culpam maximæ cladis redemit: effecitque, ut acres deorum iræ, modeſtia ipſius moribus imputarentur. Itaque titulo imaginis ejus ſpecioſiùs non recepta Dictatura, quàm aliorum geſta, adſcribi poteſt. *Valer. lib.4.c.5.*

Ignobilitatem.

Sydone capta ab Alexandro Magno, obtinebat regnum inter Sydones Strato Darii amicus. Is, quia deditio ab oppidanis facta eſt, indignus ab Alexandro habitus, cui regnum reſtitueretur: Ephæſtioni permiſſum, ut quem Sydonii regno dignum arbitrarentur, ex illorum ſententia regem declararet. Erant Ephæſtioni hoſpites Darianorum, quidam: hi oblatum ultrò regnum pertinaciter recuſarunt, prædicantes, id faſtigium patrio more non recipi, niſi ab iis, qui regia eſſent ſtirpe procreati. Laudati juvenes ab Ephæſtione, quòd magnitudine animi, ſpernerent ea, quæ per ignem & ferrum cæteri mortales peterent, juſſi ſunt cum aliis bonis circumſpicere, qui omnium optimè eſſet id nomen inter Sydonios laturus. *Sab. lib.4.* F *Enn.4.*

NON LICET ACCEPTARE propter *Imperitiam linguarum.*

Pius Pontifex ſcribit, ætate ſua Ludovicum Thuringiæ Lantgravium, Imperatorem electum, virum armis clarum, juſtitiaque inſignem, cùm literas ſe neſcire diceret, rem Imperio pernecellariam, electione de ſe facta uti noluiſſe. *Fulg. lib.4. cap.2.*

Impotentiam ex Morbo, Senio.

Sept. Severus Imp. devictis Parthis, triumpho uti recuſavit. Nam cùm vehementer podagra laboraret, triumphalis currus agitationem ac tædium vitare, quàm ſequi triumphalis pompæ cupidinem maluit. Fortaſſe Veſpaſiani memoria commonitus, qui cùm de Judæis triumpharet, faſtidio longi apparatus, tantæque agitationis affectus, ea ſe meritò perpeti tædia dixit, quia jam ſenio confectus, triumphalis pompæ vanitatem appe- G tiiſſet. *Fulg. lib.2.c.3.*

Cùm occiſo in Perſica pugna Juliano Romanum Imperium ad interregnum veniſſet: magnis precibus egit univerſus exercitus apud Salluſtium, palatinam præfecturam ſuſtinentem: qui non ſolùm diligens, verùm etiam audacis animi vir erat: ut Imperii honorem ſuſcipere vellet. Sed fruſtra laboratum eſt, Salluſtio parùm proſperam valetudinem ſeniumque excuſante. Quæ res exercitum movit, ut Jovinianum efferret, qui nulla publica auctoritate cum honorem uſurpavit. *Ibid. ex Marcellino.*

Contra Carolum IV. Electores Edovardum Angliæ regem Cæſarem elegerant, anno Domini MCCCLIIX. At is bella, quæ cum Gallo habebat, allegans, aliaque plurima obſtantia recenſens, promiſſo interim ſuo auxilio Principibus, electionem cum multa gratiarum actione recuſavit. Principes ergo vocarunt Fridericum Marchionem Miſnenſem, abnepotem Friderici Imperatoris, qui ex filia gener Ludovici Imperatoris defuncti erat, ut Imperatricem uxorem duceret, & regnum ambiret. Marchio autem, quia arthritide vexabatur, licèt juvenis eſſet, à Carolo accepit decem millia marcarum, & feudo- H rum inveſtituram, juramentumque præſtitit fidelitatis: eo excepto, ne unquam contra filios Ludovici auxilia præſtare cogeretur. *Cuſp.*

Mortuo Arnulpho Imperatore, cùm procerum Germanorum concurſus fieret ad Othonem Saxoniæ Ducem, eumque rebus geſtis ſanguineque nobiliſſimum, ac ſumma prudentia virum, ſed ſenecta invalidum, Auguſtum ſalutarent: ætatis excuſatione uſus, illis perſuaſit, uti Conradum Suevum deſignarent Auguſtum, qui cum Francis ſocietatem ac amicitiam junxit. *Aemil. lib.3.*

NON EXPEDIT, Propter *Moroſitatem.*

Cùm inſtaret apud Philopœmenem Antigonus, ut ſecum militaret, eique præfecturam & pecuniam offerret, abnuit: prçcipuè ingenium ſuum conſcius ægrè & gravatè ferre ſuperiorem. *Plut. in ejus vita.*

* GLO-

A

* GLORIA INANIS, VANA.

☞ *Vide in Loco de* Vanitate *ex profeſſo multa.*

ILLIUS SECTATORES PUNITI.

Vana gloria conſiſtit in manifeſtatione excellentiæ propriæ. Unde cum Lucifer Angelorum Princeps, plus æquo ob naturæ gratiæque dona elatus, Altiſſimo ſimilis eſſe ſuperbiendo affectaret, ociùs ad tartara cum ſociis deturbatus eſt; quo exemplo Chriſtus ſuos deterruit gloriantes, quòd dæmonia illis, ſubjicerentur, *Luc.18.* dicens: Vidi Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem, &c.

Protoplastes noſter Adam divinitatem in ſcientia boni & mali affectans, Paradiſo ejectus eſt. *Gen. 3.*

Ezechias Rex Legatis Babyloniorum theſauros ſuos vanè & jactanter oſtentans, à Domino per Iſajam corripitur, & denuntiatur, omnes illos unà cum filiis in Babylonem auferendos. *4. Reg. 20.*

B Cum poſteri Cain vellent celebrare nomen ſuum, & turrim excelſam ædificarent, cujus culmen nubes tranſgrederetur, deſcendit Deus, ut videret civitatem & turrim, & diviſit eos ex illo loco in univerſam terram, confundendo linguas eorum. *Gen. c.11.*

Joseph & Azarias contendentes pugnando contra gentes nomen ſuum celebrare apud homines, fuerunt confuſi. *1. Mach. 5.*

D. Petrus valdè arroganter dixit Domino: Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego: ſed longè poſtea aliter evenit. *Joann.17.*

GLORIÆ VANÆ FUGA.

Salvator generis noſtri Chriſtus, exemplo ſuo docuit non ſemel, inanis gloriæ laudiſque contemptum, quando poſt patrata illuſtria miracula, ſemper aut ſe ſubduxit aut vetuit nè ii circa quos ea patrata erant, divulgarent, quod factum fuerat. Quamvis eo non obſtante, quò ille magis vetabat, illi magis ac magis indicarent, ſic ut fama illius creſceret per univerſam terram illam. Quod notanter Marcus Euangeliſta obſervat eveniſſe, poſtquam ſanaſſet ſurdum & mutum. Ita enim C habet ſacer Textus: Præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò ampliùs admirabantur, &c. *Marci c.7.*

Etiam ſanato cæco, & leproſo, apud *Matth. c.8.* præcepit ei dicens: Vide, nemini dixeris. Et revera ait in hunc locum *S. Hieron. lib.1. comm. in Matth.* Quid erat neceſſe, ut ſermone jactaret, quod corpore preferebat?

Facta inſuper panum multiplicatione, videns quia volebant turbæ eum rapere, ut facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus. *Joan. c.16.*

Denique Judæis ei objicientibus, quòd Samaritanus eſſet, & dæmonium haberet, reſpondit inter alia: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. *Joan. c.8.*

Talis erat Paulus magiſtri ſui imitator egregius, qui ad *Corinth.* ita ſcribit, *Epiſt. c.10.* Non audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis nos ipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis, non immenſum gloriabimur, &c.

Idem quoque cum Barnaba, ſanato Lyſtris claudo, cum levantes vocem tubæ, divinos illis honores deferre inciperent, D in medium exſiliens, dixit: Viri fratres, quid facitis? & nos mortales ſumus. *Act. 14.*

Petrus Apoſtolus viſo miraculo quod acciderat in captura piſcium, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ego ſum Domine; quaſi ſe indignum reputans, quo præſente, & in cujus navicula tam ſtupendum miraculum Chriſtus patraret. *Luc. c.5.*

Idem Apoſtolorum Princeps, dum inveniſſet Lyddæ hominem nomine Æneam, annis XVIII. jacentem in grabato paralyticum, dixit ei: Ænea, ſanet te Dominus Jeſus Chriſtus. *Act. c.9.*

☞ *Pete plura ex Loco de Vanitate, ac pete pleraque ex Loco de Humilitate. Tit. Humilis ſui exiſtimatio. Item de Honore. Tit. Honores contemnere.*

EXEMPLA HISTORICA.

Nicæno Concilio abſoluto & confecto, cùm per omnium ora de maximi Imperatoris Conſtantini virtute fama volitaret, auſus eſt è ſacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere: quippè qui tum in hac vita dignus eſſet, qui ſummam rerum omnium poteſtatem haberet; tum verò in futura cum Filio E Dei unà regnaret. Sed is cùm ſe hæc moleſtè audire ſignificaſſet, hortatus etiam eſt, ne auderet aliquando ejuſmodi vocem uſurpare; ſed à Deo potiùs precibus contendere, ut & in hac vita, & in futura, Dei famulatu dignus videretur. *Euſeb. de vita Conſtatini lib.4. cap.48.*

In hoc genere excelluit S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus, vir nobilitate, eruditione, pietate celeberrimus. Mendicus quidam cæcus ab eo, adhuc laico nobili, ſed vulgi opinione viro ſancto, eleemoſynam accepturus, manum ſubtraxit, orans, ut oculis potiùs ejus crucis ſignum imprimat, viſumque illi præbeat. Cui ille diſſimulans, ac ſubridens: Tu, inquit, amice, necdum noſti te ſignare? docebo te; moxque ſignum crucis imprimens, illius oculos aperuit, totumque hominis fidei tribuendum aſſeruit.

Huic & aliud ſimile ſubnectam. S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, accedentem ad ſe cæcum quendam, qui in viſione accepiſſe ſe dixerat, fore, ut viſum reciperet, ſi aqua, qua manus ſuas ad altare laviſſet, ſuos oculos ablueret; ideoque ab eo jam ad ſacrum faciendum ſe præparante hanc gratiam petiiſſet: Epiſcopus multùm commotus, eum acribus verbis re- F jecit, fallacem & impoſtorem vocans. Cæcus nihilominùs in fide perſiſtens, obtinuit clanculùm à clerico, qui celebranti Epiſcopo miniſtraverat, aquam prædictam, moxque oculos ea abluens, viſum recepit. Utrique autem ſub gravi anathemate injunxit, ut ſe vivo nemini hoc propalaret; ſed ſoli Deo acceptum referret, eique ſoli gratias ageret. *In vita ejus apud Sur. tom.6. lib.2.c.3.*

S. Joannes Canonicus regularis in Anglia ante 200. annos, incluſam quandam, ut ſpiritualibus ejus colloquiis frueretur, viſitavit. Illa poſt prima verba viſionem ſe illa nocte vidiſſe affirmavit, de aquila circumvolante cum chartula in roſtro, cui inſcriptum eſſet, Jeſus amor meus: Tu verò Pater, inquit illa, hæc aquila es, pro excellentia tuorum meritorum. Quod ille audiens: Nos quidem, inquit, eo animo huc acceſſimus, ut mutuis colloquiis Dei gratiam nobis conciliemus; at nunc, ut video, malus dæmon, vitiorum noſtrorum ſagax explorator, per hos inanes ſermones in animos noſtros aditum ſibi parat. Atque his dictis, ſtatim abſceſſit. Verè enim, ſicut tinea ex veſte naſcitur, & eandem corrumpit atque exedit; ita vana gloria ex virtutis materia generatur, virtutem corrumpit, & G omni vera laude ac fructu privat. *In vita ejus lib.2.cap.3. apud Sur. 4. Decemb. tom.6.*

Cum aliquando Gregorius Epiſcopus Turonenſis iter Burgundia Arverniam ageret, magna contra ſe tempeſtas exoritur, denſus aer nubibus cogitur: crebris ignibus cœlum micare, validiſque tonitruorum cœpit fragoribus reſonare. Omnes palleſcere, imminenſque periculum pavitare. Sed Gregorius amicus Sanctorum, reliquias (has enim indeſinenter collo ferebat) de ſinu protrahit, & minacibus conſtanter nubibus opponit. Quæ protinùs diviſæ, dextra lævaque prætereuntes, illæſum iter gradientibus præbuerunt. At ſuperbia, quæ plerumque virtutibus nutritur, juvenili animo protinùs irrepſit: privatim gaudet, ſuiſque meritis præſtitum arrogat. Sed quid tam vicinum ſuperbiæ, quàm caſus? Nam equus, cui inſederat, illicò lapſus, hunc ad terram graviter eliſit, ita ut omni corpore contuſus, vix aſſurgere poſſet: cauſamque intelligens, ſatis deinceps cavit, ne ſe vanæ gloriæ ſtimulus qualibet ſub occaſione dejiceret: ſed quoties per eum aliquid divina virtus egiſſet, non ſuis meritis adſcriberet, ſed virtuti reliquiarum, quas (ut diximus) perinde ferebat. Quod factum ſi di- H ſcuſſeris, mirabilius eſt ſuperbiam correxiſſe, quàm nubem diviſiſſe. *In vita ejus cap.8. apud Sur. 7. Nov. tom.5.*

Chriſti magiſtri ſui verus diſcipulus Marcellus, cùm Energumenos exorciſmo & precibus curaret, dæmonemque poſſeſſam manſionem relinquere compelleret, clamaretque ille, Jube nos exire, quia in nos accepiſti poteſtatem; nihilominùs in oratione perſeverabat. Sciſcitanti autem, cur dæmonibus ceſſuros ſe confitentibus, nihil præciperet: Quoniam, ait, dicentes me in eos accepiſſe poteſtatem, non agebant aliud, quàm ut me vanæ gloriæ laqueis implicarent. *In vita ejus apud Sur. Beyerl. in Apopht. Chriſtian.*

Quid? nonne & Dominicum inanis hæc aura afflavit? Non afflavit certè: cùm enim Toloſæ plures ad Chriſti fidem convertiſſet, tamen Carcoſiæ figebat domicilium. Rogatus, cur non potiùs Toloſæ moraretur? Quia, inquit, plures ibi me honorant, hic verò me omnes impugnant. Maluit vir ſanctus ſe perſecutionis quàm inanis gloriæ ſtimulis conficiendum exponere. *In vita ejus lib.4. cap. 10. Beyerl. in Apopht. Chriſtian.*

Quin